manarūq; legū interpreti tā excellentissimo q̄ ęquissimo. In
fronte aūt sic exordiemur. C. Iohes lucilius Alexādro neuo
diuini humanicq; iuris moderatori eximio optimoq; Salutē.

Ad medicum.

Medicū. Humanę salutis auxiliatorē: moderatorē: tutorē: con
seruatorē: remediūq;. Medicę artis, pfessorē: Morborū curato/
rē: ęgritudinū, ppulsatorē: Accuratissimū:, pmptissimū: exper
tissimū: diligentissimūq; dicem⁹. Cui tales in lrāz tergo tituli
tribuunt. Gerbardo ueronēsi: medicę artis, pfessori: tā accura
tissimo q̄ doctissimo. In fronte aūt sic īchoādū erit. C. Iohes
lucili⁹. Gerbardo ueronensi. hūanę salutis: moderatori excel
lentissimo Salutē.

Ad Philosophū Dialecticūq;.

Philosophū. Sophię uirū. Naturę exploratorē Causarū specula/
torem: Sapiētię amatorē: filiūq;: sapientissimū: modestissimū:
excellētissimū: grauissimū: speculatissimūq; dicem⁹. Cui tales

ĩ lr̃a᷒ tergo tituli adiiciunt. Antonio cornelio ph̃o excellen
tissimo: naturę exploratori nō min⁹ accurato q̃ꝫ excellētissi/
mo. In fronte aūt sic incipiem⁹. C. Iohes lucili⁹. Antonio cor
nelio ph̃o integerrimo sapiētissimoq;. S. Ad mathematicū
Mathematicū Arithmeticę uel geometrię uel sideralis scię pro
fessorē: Fatorū: expositorē diuini numinis cōsciū: Siderum
speculatorē, phętontei cursus exploratorē. Vel īmobilis ma
gnitndis meritorē. Vel discretę quātitatis supputatorē. Acu
tissimū: subtilissimū: accuratissimū: prudentissimū: pspicacē di
uinū sapientissimūq; dicem⁹. Cui tales ī epl'a᷒ tergo tituli tri
buunt. Iohi de monte regio mathematicę artis, pfessori non
min⁹ accuratissimo q̃ꝫ doctissimo. In fronte autē sic salutam⁹.
C. Iohes lucilius. Iohi de monte regio. sideralis scię, pfessori
sapientissimo accutissimoq;. S. Ad musicū Vatemq;.
Musicū Vatemq; eisdē ferme titulis decoram⁹. Cęlestis harmo
nię imitatorē appellātes. Pyeridū filiū. Musa᷒ alumnū. Apol
lini sacratū. Thespiadū choro dicatū. Hippocrenidū choro
sacratū. Pegasidū amicū. libetridū cultorē. Pegaseo liquore sa
turatū: lauro insignē. Pallida decoratū hędera: Pyreneo fōte
potū. Castalii fontis domesticū. Parmissi fluminis nō ignarū.
Cephisi gurgitis nō expertē: Heliconię rupis accolā: Parna/
sii nemoris exploratorē: Cyrrhęi iugi nō alienū: Aonii mon
tis habitatorē: phębei numinis interpretē: Testudineę lyrę
moderatorē. Nouennarū sororū decantatorē: Parnasię ędis
ciuē. Sacrū: diuinū: elegantissimū: facūdissimū: suauissimū: io/
cundissimū: ornatissimū: canorū: sono᷒: argutū: decentissimū
celebratissimū: expolitissimūq; dicem⁹. Cui ī epl'a᷒ tergo ta/
les merito titulos tribuem⁹. Iohi Mario philepho. musarum
cultori tā ornatissimo q̃ꝫ eleganti. In fronte aūt sic exordie/
mur. C. Iohes lucili⁹. Iohi Mario philepho phębęi numinis
interpreti expolitissimo ornatissimoq;. S. Ad Oratorē.
Oratorem Forensiū causarū tutorē, latini eloquii moderatorē.

pedestris oratiõis dec⁹. Patrię linguę unicũ splendorẽ: Reip⁹. cõsultorẽ: Sanctarũ legũ asseueratorẽ: Canorã uirtutis tubã. Romanęq; linguę decus: Facũdissimũ: disertissimũ: eloquentissimũ: elegãtissimũ: limatissimũ: expolitissimũ: ornatissimũ: copiosissimũ: grauissimũq; appellabim⁹. Cui tales ī epl'az tergo tituli adiicient. Bñdicto brognolo oratori facũdissimo romanęq; linguę moderatori disertissimo eloquẽtissimoq;. In fronte aũt sic inchoabim⁹. C. Iohes lucili⁹ Bñdicto brognolo pedestris oratiõis decori Salutẽ. Ad grammaticũ.

Grãmaticũ: Reipub. litterarię columen. Latini sermõis explo/ratorẽ: Humani studii principẽ. Litterarię disciplinę mode/ratorẽ: Auctorũ poetarũq; interpretẽ: Humani codicꝭ expositorẽ: Latinę originis exploratorẽ. Humanissimũ accuratissimũ: disertissimũ: ornatissimũ: copiosissimũ: doctissimũq; dicem⁹. Cui tales ī lr̃az tergo titl'os dabim⁹. Frãciſco nigro utriusq; linguę moderatori tã hũanissimo q̃; ornatissimo. In fronte aũt sic īcipiem⁹. C. Iohes lucili⁹ Frãciſco nigro litterarię disciplię iterp̃ti disertissimo accuratissimoq;. S. Ad scholasticũ

Scholasticũ quẽq;: De uirtute bene meritũ. Litterarię discipli/nę dicatũ. Vtriusq; uirtutis florib⁹ exornatum. litterarũ haud expertẽ. Bonarũ artiũ studiosissimũ: eruditũ. In primis doctũ Studiiq; decus hũani dicem⁹. Cui tales in epl'arũ tergo titu/los tribuim⁹. Martino bippodamo utriusq; uirtutꝭ tã studiosissimo q̃; accuratissimo. In fronte autẽ sic inchoandũ erit. C. Iohes lucilius bippodam⁹ belbrõnensis. Martino bippoda/mo litterarię disciplinę decori Salutẽ. Ad cognatos.

Pater filiũ uel nepotẽ chariſſimũ: dulcissimũ: pientissimũ: dilectissimũ: lepidissimũ: suauissimũq; appellat. Fili⁹ autẽ patrẽ ul' patruũ. bonorandũ: obseruandissimũ: pientissimũ: optimum pbissimũ: humanissimũ: uenerandũ colendũq; dicit. Quib⁹ tales ī epl'az tergo tituli tribuunt. Fili⁹ ad patrẽ Heinrico bippodamo belbrõnẽsi uiro patri suauissimo pientissimoq;. Vel pater ad filiũ. C. Iohi lucilio bippodamo belbronnensi filio

chariſſimo ſuauiſſimoq;. In fronte autē ſic filius patrē ſalutat. C. Iobes lucilius Heinrico hippodamo belbrōnenſi uiro patri tā humaniſſimo q̄ obſeruandiſſimo Salutē. Vel pater ad filiū. Heinricus hippodam⁹ belbrōnenſis uir. C. Iobi lucilio filio tam pientiſſimo q̄ ſuauiſſimo. Ad fęminas.

Fęminā. Caſtitatis decus. Pudicitię exemplū Honeſtatiſq; ſpeculū: Pudiciſſimā: caſtiſſimā: integerrimā: honeſtiſſimā: primariāq; dicemus. Cui tales in eplā tergo titulos aſſignam⁹ Lucretię: cornelię: feminę primarię: integerrimęq;. In fronte autē ſic incipiem⁹. C. Iobes lucilius Lucretię: cornelię: bone ſtatis pudicitięq; exemplo Salutē. Illud autē ſciendū eſt q̄ fęminę uirorū ſuorū titulis decorandę ſūt. Proinde ex ſupiori bus ꝟm rei pſonęq; exigentiā: nō tantū in hoc ſexu: uerū & ī altero: uir accuratiſſimus quiſq; ex ſe poterit condecentes titulos aſſignare.

Reliqua perpaucula erūt: quę diuturno uſu. aſſiduaq; conſuetudine & maiorum auctoritate apte excogitare oporteat. Quę tñ & rationi cōſentaneę: & hominū opinioni correſpondere poterunt. Si primo quęq; legendo borū te pręceptorū obſeruantiſſimū reddere ꝓcurabis.

Litterarū exit⁹ his ſimilibuſq; uerbis claudere uſitatiſſimū ē. Vale decus ſęculi noſtri: ſis fęlix noſtriq; memor. Vale tibiq; ꝑſuadeas te mihi chariſſimū eſſe ꝑ quod tibi chariſſimū eſt rogatus aucto. Vale meq; tibi cōmendatū habeas. Cura ut recte ualeas. Da operā ut ualeas. Recte uale & nos mutuo dilige. Valitudinē tuā cura diligenter bñ uale. Vale fęlix: diuq; uiuas: noſtriq; memor nō diligas oro ſed amas. Vale militię decus. Huncq; nouū laudationū ac pręceptoꝝ libellū tuo nomine conſcriptū cōmiſſum: charū: gratū & acceptū: nouitate ſaltem rei te habiturū Spero. Vale lector.

Iacobi Publicii Florentini ars memorię ſęliciter incipit & primo prędatio.

Aud ab re fore arbitror: ſi p̄ter ma/ iorū conſuetudinē: quę plurimis ſę/ culis e mortaliū uſu receſſere in me diū nūc lucēq; referam. Nam ſi men tis acies animiq; uis. bis terrenis ar tubus deſtituta: intellect⁹ admodū uolūtatis & memorię lumine clarue rit. hac tñ corporea mole cōtagio ne & obſcuro carcere merſa: nouis prę/ ceptis medicęq; art⁹ adminiculis in/ digens ē. Vt quod caduci fragiliſq; corpuſculi coniunctione id luminis ei ademptū eſt: nouis prę/ ceptis & exercitatiōe conſueta luce priſtinoq; iubare longe la/ teq; ſplendeſcat. Nō enī ſibi ſolū ornamento uerū etiā prędaris ſtudiis & bonis artib⁹ boneſtamēto: ſplendori & decori eſſe po terit. Hanc nāq; facultatū omniū & artiū diuino humanoq; ſtu dio dignarū: cōmunē uti parentē & fidiſſimā ſeruatricē: diuini & hūani ingenii argumentū & gloriā ac muſarū matrē uates no ſtri dixere. Hui⁹ ſagacitate motu & celeritate qua cūcta ambit ſentit & mouet motu ſempiterno prędita: diuinę mētis uim in tueri admirari & uenerari licet. Quę ſūma nos charitate cōple/ xa elīgues mutoſq; (ut ſabinū: caluinū) diſertos eloquēteſq; red dat. Ignarū tardū īmemorēq; bene memorē efficit. Quę a natu/ raq; uolūt (ut Themiſtodi: diuęq; mētis ſenoni) meminiſſe: da/ tū eſt artis exercitiū & tardis mēorię p̄cepta fiducia ordine ſęli citate tenacitate & reꝝ copia cōparauerit. Nō enī tm̄ nobis (ut platonis ſnīa dictitat) nati ſum⁹: ſ̄ noſtris patrię & poſteris quo pbeati illi eſſe uident qui ſūmo ingenio pręditi nō ſuis modo: ſed & minorib⁹ & poſteris memoriā & deſideriū ſui reliquerūt. Quid enī prędari⁹ qd gloria qd laude qd admiratiōe digni⁹ q̄ꝫ aiantia naturę bonitate: ingenio anteire boīes. nō mō morta/

les sed naturā ipsā studio & uigilātia mentis & memorię ui ex/
cellere. Cęterū cū oīs huiꝰ prędlarissimę uel potiꝰ diuinę artꝭ fru/
ctus in ordinis dispositiōe recōditos nō ignoremꝰ dabimꝰ ope
ram ut de ipso ꝓbreui & q̄ absolutissime dicamꝰ. Nā & Symo/
nidē poetā huiusce rei auctorē dispositiōe & ordine memorię
rationē principio excogitasse cōpertū est. Cū apud scopā thessa
lię eū in cōuiuio discūbentē duo ęgregię formę iuuenes accirēt
Quoꝝ tandē euocatiōe defagitatꝰ dū ad fores genialis domꝰ uti
ratus erat nō iuenissēt. eos oī urbe uagus quęreret: cōuiuii inte
rea domꝰ in ruinā uersa: miseranda cōuiuas clade oppſſit. Quos
cū affines sepulchro mādare uellēt: nec eos miserādę mortis ge
nere ruina & molibꝰ attritos recognoscerēt. Diuinꝰ ille symoni
des quē qsq; dispositiōe & ordine locū sortitꝰ fuerat tacite uol/
uens: Charos parētibꝰ liberos dulcesq; cōiugibꝰ uiros & matrū
amplexibꝰ ac lachrymis natos restituit. Cuiꝰ exēplo illecti nos
quoq; ab ordine initiū dicēdi sumemꝰ: Si paucis prius de inge
nita memorię ui diserētes ꝓpriā eius potestatē complectemur.

Diuisio memorię.

PRęclarā oēm hūani animi uim: ꝑstantissimāq; nri
corpis mentē in uertice ueluti ī arce sagax natura
cōstituit Vt sensibꝰ finitima ętbereo cęlo ꝓpinqor
& īmortali deo uicinior: cęlū oē sidereāq; plagam
igneū uigorē & liqdū ętbera liberiꝰ plustraret. Ma
ria terras & īfra se positas urbes ut īpiosa & seuera moderatrix
ab excelso despiceret. Eiꝰ uim ac uirtutē reꝝ gerūdarū q̄litatē tri
plicē dixere. Memoria igit ab ītellectu & fantasia ꝑclare illi q/
dē segregarūt. priꝰ nāq; abditas nobis res haꝝq; latitantē uim &
naturā īdagare & cognoscere q̄ meminisse datū ē. Hāc uero ab
solutissimā hūani īgenii uim ī mēoriā & reminiscētiā distīxere.
Easq; tm̄ īuicē distare aīaduertūt ut opa uolumini papiro & li/
bro alterā: alterā sono ꝓnūciatiōi & uoci cōparūt. Cōstantis enī
mētis absoluteq; ꝓfectiōis habitu: reminiscentiā & frequentiā

opationū actu mēoriā pene diuinā prędicāt. Nos utriuſq; uim cōi uocabulo intexere cupiētes hanc mentis bipartitā cōmo/ditatē memorię tm̄ noīe nūc complexi ſumus. Nō ut illorū au ctoritati & ſapientię arroganter quicq; detrahamꝰ ſed doctorū atq; grauiū latinorū auctoritatē ſecuti: qđ ab illis bipartito tra/ditū eſt: facliꝰ ſimpliciter euoluamꝰ. Mentis itaq; noſtrę & me/morię cōmoda duplicia ſunt: alia naturę. ſ. alia ab inſtitutiōe ar tis ꝓfecta. Naturalis memorię: uis quędā eſt noſtris animis & cogitationibꝰ ut bene meminiſſe poſſimꝰ inſita. Hęc nō locis ſ; ueris fictiſq; imaginibꝰ indiget. Vnicuiq; enī doctorū atq; gra/uiū ſnīam agere meminiſſe & intelligere cupiēti cōſulto &me/ditato opus eſt. Humanāq; q̄ppe naturā ſenſitiua ui uehemen/tior eſt: nulliꝰ corporeę ſimilitudinis adminiculo ſimplices res uel nō concipe uel mox cōceptas amittere certū eſt. Cęterū cū memoria ipſa uel morbo uel ętate confecta langueſcat: p̄ceptis medicaq; manu & exercitatiōe eiꝰ impedimēta ꝓpulſanda ſunt Pueritię enī ſenectutiq; obliuionis & letargię matri uſu & arte ſuccurrendū platonē docuiſſe affer cōſtantinꝰ auctor eſt. Vt enī animi noſtri bona: ingenii quoq; dotes a natura nobis conceſ/ſas ꝓfectionē quandā conſuetudine & exercitio p̄cipere uide/mus. Sic memoria & ſi nihil cōmodi a natura ſibi uēdicarit ar/te tm̄ & uſu naturę cōmoda augeri & incōmoda cōminui leuari & retūdi uidemꝰ. Iugis quippe uſus & diuturna cōſuetudo rerū magiſtra ē. Caduce igit̄ fragiliq; naturę diuturna meditatiōe & aſſidua exercitatione occurrendū eſt. Ea ueris cōmenticiiſq; lo cis cōſtat adiūctione litteriſq; leuaꝫ imaginibꝰ ſignis: figuris & inſigniis augeꝫ: ſed de his alias nūc ad ordinē: unde digreſſi ſu/mus reuertamur.

De ordine locorum.

CVm in oī actione diſciplina & arte modus rerūq; ordo & diſpoſitio (ut in nauali militari ruſtica & publica re) ſūmo adiumento mortalibus ſit. Tū in hac tm̄ momenti & neuorū habet ut oīa ingenio & memorię cōferētia his ſine umbra ueluti obſcu

ro carcere & altu caligine mersa longe a sensib⁹ uaga & fluitãtia latitant. Nõ ab re igit altius repetendũ censuim⁹: ut oĩs huiusce rei ratio & doctrina supra q̃ necesse uidet: exordiendo hac luce clarior diluceſcat. Ordo ẽ recta rerũ dispositio qua singula suũ teneant locũ. Hic rerũ & uerborũ dicit. Quę enĩ dignitate aut natura prestantiora uerba dicunt cęteris prętereda sũt. Virgilius sexto Principio cęlũ & terrã camposq; liquẽtes Lucẽtẽq; globũ lunę titaneaq; astra. Spirit⁹ intus alit hinc hominũ pecudũq; genus uitęq; uolantũ. Sic uiros & mulieres Victrici dextra subegit. Salustius in catilinã cõmemoratis uiris qui in ea cõspiratione fuere mulieres etiã aliqđ affuisse sibi inquit. Natura ut ortus & occasus: dies & nox Crispus Oĩa ab ortu ad occasum domita armis parerẽt. A notiorib⁹ non imperiti litterarũ inchoant ut Vrbis romę exterarũq; gentiũ Valerius maximus Et urbẽ Romã sicuti ego accepi condidere atq; habuere initio Troiani Salustius. Et urbẽ quã dicũt romã melibeę putaui Virgilius. Finita infinitis. ęquale inęquali. uirtus uitiis. certũ incerto. fixũ mobili. habit⁹ priuatiõi. & cecitati uisus anteferat. Contrariorũ oppositio habitus & priuatiõis normã sequet: ut albedo habit⁹: nigredo priuatio dicat. Rerũ ordo continuata ẽ sententiarũ progressio seriem distinctionẽq; seruãs. Ea est triplex continuationẽ partiũ orationis & locorũ. A ualidissimis enĩ & necessariis ĩ diluendo inchoandũ. Maro docet Soluite corda metũ teneri secludite curas. Res dura & regni nouitas me talia cogunt moliri & late fines custode tueri. Econtra in cõfirmando agendũ esse. Fabius Quintilianus & Marcus Cicero asserũt Partes itẽ orationũ ordinẽ suũ exquirũt: ut in oratoriis institutionib⁹ docuimus. Locorũ ordo est duplex Sediũ argumentorũ & imaginũ. Sediũ ordo imaginũ ratione est recta locorũ series: uel in corona cõuertibilis eorũ dispositio. Ordinẽ in argumentis p partes eorũ & partiũ dispositionẽ exquiremus. Rerũ ordo in locis: dispositio in partib⁹ orationis uel imaginib⁹ concernit. Quę si ad casum temporis uel insulsę ab imperitis dispo/

nunt cognita dura & memoratu difficiliora erunt. Locorũ lex prẽceptione inuentione qualitate dissimilitudine numero notatione impressione cõmenticiisq; locis plene pfecteq; constat. De quib⁹ pricipio a p̃ceptiõe ducto ī hoc primo libro dicemus.

Prẽceptio est recta agendi ratio: qua naturę cõmoda cõfirmata & ingenii bona adaucta longe lateq; diluescunt. hic ut ne qd temere adiiciam⁹. neu qd p incuriã obmittam⁹ seruandũ est. Qð effugere qui uolet hui⁹ artis obseruantissimus & p̃ceptorũ curiosissim⁹ īdagator & seruator erit. Locoꝝ iuẽtio. Omparandorũ locorũ triplex ẽ ratio. Nã aut natura constituũt: aut cuiusq; ingenio excogitant: uel bis cõposita conficiunt. Natura cõstituta dicunt: quę nõ ingenio excogitata: nec cõmentatiõe nra efficta uidẽt. Ingenio cõpant q̃ nra sagacitate similãt. Mixta dicũt: q̃ cũ natura & mãu hoiuz: tũ calliditate cõstituũt. Qð & expediẽs & cõducibile magis atq; magis esse arbitramur. Oia enī a natura cõstituta repire ẽ ipossibile: & fictis oĩbus uti durũ & piculosissimũ duco.

Locorũ qualitas.

Valitas est cõditio certa locis īscripta ut mediocri luce mediocriq; distantia: firma: imaginũ capacia: ac solo in loco sita: re aut noĩe imaginũ rõne correspondentia exactissime cogitent. Extrema nãq; imaginatiuę uirtuti obesse rei militaris: oculorũ & auriũ argumẽto compertũ est. Litterę enī nimiũ conculcatę & syllabę nimiũ expressę uel cõpressę labore nimio: sensus mentẽq; affligunt. Aditus etiã & redit⁹: puagatio & frequẽs hominũ cõcur

satio cogitationē nostrā deludit. Medio igit modo ac mode/
stia ingenia excitent. Ne nimiū dilatata fusa ac uaga: īcerta: an/
ceps & ignara mens fluctuet. A meridie igit in septētrionē uer
sa a decem in uiginti passuū distantia opaca deserto in loco:
quinq; pedū ambitu cōtenta sunt. Dissimilitudo locoꝝ

LOcoꝝ similitudo morte magis euitāda est. Nā uti
ea compositū ita hęc cōiunctū resoluit. Vilē homi
nē facit: mētē animūq; memorię ībecillitate humi
deiicit tarditate aut infamia aut sēpiterna aut diu
turna nos inficit. Quas ob res opere colore & al/
titudine figura ac diuersa materia euitare poterim⁹. Vel si non
locis optat⁹ & arte cōparatis lapidib⁹ saltē arborib⁹ tumulis aris
monumētis biremib⁹ nauibus procliuis pontib⁹ astris ac insu/
lis uarie effingent. Locorū notatio.

LOcorū nota duplex ē. Numerorū altera. altera re/
rū. Numeri signū dicit numer⁹ quīto quoq; inscri/
ptus: & hic aut arithmetica figura uel reali notat.
Falx quippe manus aut pes quintū Crux decimū:
Geminata uigesimū significabit. Verū Hermipp⁹
loca singula notāda cōmemorat: ut ad eū cū ueneris rē locū &
loci numerū teneas. Ne tm̄ re: uerū etiā numero cōmemorato
memoriā facili⁹ exercere ualeam⁹. Albert⁹ decimūquēq; Fabius
Quintilian⁹ & Marcus Cicero quintūquēq; notandū cōmemo
rāt. Rerū nota dicit rerū additio: locis inserta. Cū enī supiorib⁹
legib⁹ loc⁹ carebit: ne mentē tardā efficiat re aliq̄ munietur. Si
enī uastus mobilis aut nimiū lucidus uidebit: exedra clauo &
testudine confirmabimus. Locorū impressio.

LOcos arte cōpatos diuturna meditatione & iugi
exercitio mēorię adeo imprimem⁹ ut nō aliter te/
nere: colligere & memorit reddere q̄ꝫ q̄ nobis no
tissima sunt possumus. Distrabit enī memoria atq;
ois animi uis effęminat si in colligēdis imaginib⁹ ordine & lo/
co dūtaxat uno aberrauerimus.

Locorũ multitudo.

Reliquũ iã esse uidet ut locorũ legib⁹ expositis infinita pene nobis loca: ordine: q̃litate: luce: distantia: mediocriq; spacio: deserto in loco: stabilia ac dissimilia excogitem⁹: ut si quid e memoria baud excidere sed diu impressũ tenaciter inherere uelimus: & alia itẽ memorię cõmendare studemus diuersis ĩ locis affigamur. Est enĩ tũ piculosum: tũ ridiculũ duos eadẽ in re coheredes in solidũ cõstituere. Quę qui sine labore multiplicare uoluerit. Centum cõficta animalia litterarũ & alphabeti ordine exquiret ac unicuiq; figurę quinq; maxima & difformia animalia accõmodabit: uel res aliquas aĩalibus cõmiscere poterit: ut diuersitate hac firmius memorię impressa inhereant. Quib⁹ pro eorũ magnitudine plurimas ac diuersas imaginũ sedes pro sententia nostra statuere poterimus. Quadrati itẽ normam de quo extremo uolumine agendũ est sequetur.

Cõmenticia siue ficta loca.

Nonnihil opis cõmenticia etiã loca afferre usu cõpertũ est. Si distincto ordine sediũ ratiõe excogitata erũt: ne fulgida splendescãt uel obscura opacitate obtecta prorsus latitẽt. sed distincta clara (ut sequenti figura euidẽs est: locorũ multitudinẽ aperta nobis prębeant. Cęterũ quoniã de ordine lege pręceptiõe inuentione qualitate dissimilitudine notatiõe. Impressione locorũ multitudine & cõmenticiorũ locorũ cognitione dicẽtes. satis huius primi libelli magnitudo creuit: cõmodius reliquis de rebus in sequenti uolumine dicendũ censuimus.)


Paradisus
Celū cristallinū
Celū nonū
♄
♃
♂
☉
♀
☿
☽
Africa
Asia
Europa

CVm locorũ rationẽ ſuperiori libro aperuerim⁹: reliquũ eſſe uidet ut de imaginib⁹ hoc ſecũdo libro diſeramus. Simplices enĩ ſpiritualeſq; intentiões nulla corporea ſimilitudine adiutę e memoria q̃; primũ elabũt. Eã nos imagine ſignis inſigniiſq; cõmoditatẽ nobis cõparabim⁹. Eſt autẽ imago formę cũ forma figurę ſigni uel inſignii ſimilitudine quadã collatio. Hęc ridicu/li motus: mirabilis geſtus: trucis crudeliſq; uultus: ſtuporis tri/ſticię & ſęueritatis plena eſſe debẽt. Magna qppe incredibilia: inuiſa: noua rara inaudita: flebilia: ęgregia: turpia: ſingularia ac puenuſta menti & memorię noſtrę ac recordatiõi plurimũ cõferunt. Vehementi⁹ enĩ humanos ſenſus humanãq; mentẽ ex/trema q̃; media excitant. Eius rei ratio multiplex eſt. Signum enĩ duodecim ptibus reſoluit. Quarũ prima Effictio dicit. Ea ẽ cũ corpis facies certis deſcribit ſignis. Vt ſic ſenẽ hic artis gratia effingamus. Tremulũ incuruũ: gementẽ: labiis dimiſſis ĩ cano mento iã; mucidũ naſũ tergentẽ. Econtrario lęta iuuent⁹ excogitabit. Corpis noſtri pulchritudo & feditas ſic indagabitur Vt colli longitudo capillorũ digitorũ & totius corpis proceri/tas admirationẽ nobis & ſtuporẽ pręſtant Naris oris: auriũ: mamillarũ uentris pedũq; breuitas his ornamentũ pręſtant. ſi qua latent meliora putes. Frontis oculorũ pectoriſq; amplitudo & dignitas eis boneſtamento accedat. uox ſexui correſpondeat. Collũ & teretes digiti uenuſtatẽ & longiora brachia dignitatẽ afferũt. His rubicũdulę maxillę & ore uernãtia roſis: puniceaq; labia addant. Manuũ pectoris colli & oris candor: ſupcilii oculoz: torquis & ueſtiũ nigredo: modeſtus inceſſus pręclara fama & pręſtans uirt⁹. His corpis bonis addat. Hinc affer poeta uirginẽ uituperans Ruffam ceſiã: ſparſo ore: aduncis manib⁹ contemnit. His ſimilibuſq; cõmentationib⁹ latẽtes rerũ imagines

latentiaq; signa iugi exercitatione nobis uendicabimus.

Accedit secūda signi species nobis quoq; Notatio. Qua naturales affectus in mediū afferimus. Sic enim cuiusq; ętatis & animalis cuiusq; passiones euoluamus. Voracem lupum: timidas dāmas timidosq; lepores: caprasq; fugaces. lęta iuuentꝰ: tristis senectus: prodiga adolescētia: auariſſimę mulieres: liberales uiri dicunt. Huic rei diffinitionū ratio plurimū opitulabit. nec minus poeticę descriptiones. Si quis autē famis qualitatē ignorat hos perpauculos nasonis uersus lectitet. Quęsitamq; famā lapidoso inuenit in agro. unguibus & ratis uellentē radicibus herbas. Dura cutis p quam spectari uiscera possint Ossa sub incuruis extabunt arida lumbis Ventris erat ꝑ uentre locus pēdere putares Pectus & a spine tantūmodo crate teneri. Auxerat articulos macies genuūq; tumebat. Orbis & īmodico prodibant cunę tubere tali. Qđ si quē famę imago latitat Virgiliū quarto eneidū & Ouidiū octauo lectitet. Eam pedibꝰ celerem & pernicibꝰ alis. Cui quot sunt corporę plumę. tot uigiles oculis tot linguę totidē ora sonant tot surrigit aures. Inuidia infęlix sic a Nasone describit. ut Liuiāt rubigine dentes. uipereas exedit carnes. Nusq; recta sit oculorū acies. risus abest nisi quē alii fecere merēdo. Somnii effigiē ęgregie excogitauit. Domū enī ei obscurā confecit a qua latratus oīs canū uigil quoq; ales abest: decursus sonusq; aquarū raucus papauera & lectus ex ebeno compactus: ipsum deū procumbentem ad somnū incitant. Quibus rebus sępe latitātia signa borū exemplo excogitare & adinuenire facile poterimus.

Etymologię cognitio plurimum inquirendis imaginibus & signis confert. Philippus si imaginē suam dure nobis prębeat. ętymologię & nominis sui ductu similitudinem facile accōmodabit. A philos enī. i. amor & hippos equus ductū habet hoc ē amator equorum. Hieronymus sancta lex. Iacobus colluctator

interpręt̃at̃.Frons a foraminibus. Oculus ab oculẽdo ab in/
iuriis ductũ habere Varro asserit.Calamitas ab excussiõe ca/
lamorũ.Mulier a mollicie.Fęmina ab abstrusa sui corpis pte.
unde & fęmialia dicta sũt.Vir a uirtute.Homo ab humo(qđ
etiã antiquorũ theologia promethei ratiõe cõprobat)origi/
nẽ ducit Pauper reb⁹ suis content⁹ nõ est. Miser nihil habet.
Egestas eorũ est quę opes suas sine ratione gesserũt. Penuria
qđ nos pene urat.Inops oĩ opere caret.Econuerso. Pecunio
sus pecorib⁹.Locuples locis:diues pecuniis:Opulent⁹ operi
bus affluit. Fęlix secũdo sidere nat⁹ ad quẽ constellatione bo
na puenere. Beatus beatitudine & diuina ꝓuidentia auctus
Fortunat⁹ casu & fortuna bonis adauctus. Qua de re dicere
nõ grauaremur nisi alio libro deducto a nobis dictũ esset.
Nõnihil etiã ad hanc rem opis onamathopeya nobis affert id
est cognitio uerbi e sono uocis ducta. Sic ennius taratanta/
ra dixit. Equi hinnitus.mugituſq; boum.balantũq; gręgem.
Strix nocturna & uesptilio stridẽt.Bõbitus apũ.grus gruit
crastinat coruus.tu cornu uoce notat̃.Barritus a barro. Vlu/
lant ululę.pipant accipitres.& alia quę plurima sũt:usu & cõ/
suetudine uocis sonitu imagines prębebunt.
Rerum effectus nõnũq; notare & colligere pręclarũ est. Cuius
ope plurima mentetenus cõmendare ualeamus. Sic mensiũ
noĩa colligemus.ut Martem bello deditũ. Aprili mense oĩa
aperiunt̃: pullulent & gẽmas explicẽt flores & uites. Maius
floribus redũdabat. Iunius herbis & frondib⁹. Hinc Virgi/
lius. Tũc somni dulces denſęq; in montib⁹ umbrę: oĩa nunc
florent Iulius segetib⁹ ornet̃.Hinc Ouidi⁹.Stabat nuda ęstas
& spicea serta gerebat. Augusto oẽs adhuc fructus accrescũt.
September dulces habet uuas dulceſq; affert fructus. Octo/
ber sorbes & nespulas.Nouẽber oleę baccas cruentęq; mirtę
fruct⁹ colligit. Ianuarius bifrons pręterita futuraq; cõcernit.
Februarius a sebruo & plutone floreũ uer reuocat. Sic dierũ

rationē exquirim⁹. Solis enī dies corona duodecim gēmarū notabit uel alchimiſta⁊ uocabulis exquirit. Dñico enim die aurū. lunę argentū. marti ferrū. mercurio argentum uiuū. Ioui ſtannū. ueneri ęs. ſaturno plumbū applicauere.

Sua cuiuſq; artis arma & iſtrumēta officia auctores diſtinguere poterūt ut Pila romāos. Sariſſas macedones. Pelta Hyberos Sic etiā cuiuſq; officinę arma ſuos opifices oſtendēt. ut Mola ſubuncula. onoforū olera raſti. & quę his ſimilia ſunt.

Eadē actu excogitabim⁹ longeq; meli⁹ motu pte corpis indagare poterim⁹ Singulas enī corpis ptes numinib⁹ dedicarūt. Pedū articulos ſaltu & uelocitati: genua miſericordię: digitos pectine iūctos dolori. Caput īpoſitū uel reiecū in pect⁹ confeſſioni. In ceruicē uerſū negatiōi. In humerū deiectū hippocriſi. Terga fugę quieti & ocio nates. Capilli diuitiis. ungues crudelitati. dentes diſcordię digitos mineruę. Frontē ſuperbię: aures memorię dedicarunt.

Oppoſitū ſępenumero ad memoriā reficiendā ſpectat ut teſtudo ꝑ uelocitate: ęgrotū & ualitudinariū ꝑ bene ſano & pluri ma quę p ironiā proferuntur.

Accidēs & ꝓpriū ſubiecto notabit. Vt nigredo in mauro. fuſcedo in arabis. rubedo ī dalmatis. Albedo ī gallicis. Riſibile in boīe. binnibile ī ęquo. barritus ī elephante demonſtrabit.

Cauſę cognitio reminiſcentiā creare ī nobis ſolet. Furti enī cauſam auariciā dicim⁹. Vnde ęgregi⁹ uates uerſib⁹ memorię prę cepta cōplexa inquit. Cauſa uel oppoſitum ſimul inſtrumēta uel actus. Conſimilis facient te meminiſſe rei.

Si mixtā ſubſtātiā mēorare cupis. epigramata: aut ſpēs reſoluta enodabit. Cētauros enī & chimerā. ſpēs nobis facile euoluēt

Vm prima hui⁹ libelli ps ꝓpe modū a nobis abſoluta ſit: iā ad figurā deueniendū eſſe putauim⁹. Vt enī ſignū cognitiōis ſemine (pallore albedine rubedine) leſę cōſcientię indicia oſtendit. ſic figura

rerū realiū formā imaginēq; indicabit. Cui⁹ ope facile carmine cōcluſę res aperient. Hinc nō iniuria camillū iuriſcōſultum oīs humani iuris rubricas ppauculis uerſib⁹ complexum memorię cōmēdaſſe accepi. Diuiſiōe rerū: lr̄aꝝ & ſyllabarū cōuerſiōe latitātes figuras indagabimus: ſic reb⁹ ſuber nabo bona laudabilis laudabili infecta. nemus ſumen referet. Litterarū adiūctiōe cō/minutiōe: detractiōe & alteri adiūctiōe memoria excitabit. ut iſtā ipſā: mipſā enī detrabēdo primę pti. m. & iūgendo ſequenti faciem⁹. Prima aūt meli⁹ lr̄aꝝ paucitate cōſcribit ſic. ħ. ſignificat iſta. Exitū uel principiū aut utrūq; uerbis ſil'e exquirem⁹ ut īnocentes ignoſcētes. Res ſenſitiua ad ſenſū referat. Vt uiſus: audi/tus: odorat⁹: qđ ſi aſpect⁹ olfact⁹ dixero ſenſu cōmutato diſtin/guā: ut ſimęq; capellę ꝓmoſtide. Eadē itē eē poterit lr̄a licet ſnīa diuerſa aut uaria ſit Vir. nō ignara mali miſeris ſuccurrere diſco ī ara mali pomi uel naual'ligni imago ſit nihil refert. Verba nomine ſępe referūt & ecōuerſo ut diſco amo. Aduerbiū itidē ut condā loco quondā. Vnica lr̄a plures referre ppulchrū ē ut qđ/



cũq; A. pfossa ea pte corpis locet nomẽ uerbũq; uariat ut in hac figura patebit. Eiusdẽ nois realis figura memorię q; plurimũ cõ fert maxiecq; si ita uoci det ut eius dictionis uocẽ quã memorię cõmendare cupim⁹ expressũ extitit ut meles sępe qđ si fieri ne quit ad alia diuertam⁹. In sensu & nõ in significatiõe equoca in dagabim⁹. ut Sistrũ canis sępe arma & quę his silia nouerim⁹.

SVperest ut de quarta hui⁹ secũdi uoluminis iã pte dicam⁹. Insignia enĩ cuiusq; rei, ppriũ uocabulũ ex quisitũ referũt. Ea triptita sũt rerũ. s. psonaꝝ & loco rũ: uera & ficta dicunt. Personarũ sũt hęc. Impato/ris trigoma: corona regis. prętoris & prefecti sce/ptrũ. consulũ fasces & securis. Sũmi pontificis tyara: cardinaliũ phęciniceus pileus. epoꝝ mitra. aurea calcaria militarẽ dignita tẽ. aurei ãnuli zonęq; margaritę & gẽmę medicũ. unde nõ iniu/ria a poeta dictũ arbitror. It galienus eques gẽmis oneratus & auro Plato secũ peditẽ trahit Aristotelẽ. Leomarcus. aquila Io hãnes. uitulus luce. angelus mathei. cathene leonardi. pectines basilii. pellis bartholomęi. claues Petri. retia Andreę. coclę & galerus Iacobi. Procellus lacteus Antonii insignia refert.

Locorũ dicunt cuiuscũq; loci priuata bona: hinc Virgi. primo georgicorũ. Hic segetes illic ueniũt felicius uuę Arborei fętus. Alibi. Atq; iiussa uirescũt gramia. Nõne uides croceos etymo/lus odores hydra mittit. Aut molles sua thura sabęi at calibes nudi ferrũ uirosa pont⁹ castorea Eliadũ palmes & epirus equarũ Sic candia zugarũ. florẽtia purpurã: Valẽtia risum mittens suo ppriocq; bono denotabitur. Rerũ insignia sunt Ensis iusticię eqtat| libra. Herculea claua fortitudĩs. Geometrię circinũ. Astro labiũ astrologię & ea q̃ supra de ptib⁹ nr̃i corpis cõmemorauim⁹ ut discordię dẽtes: mẽorię aũt apposita man⁹ frõti & oculis: ob/liuionis digitoꝝ & unguiũ mordicatio: & q̃ bis silia sũt. Sũt nõ nulla q̃ & si silia sũt: tn̄ suũ auctorẽ sequũt. ut fũda baleares: arcus anglicos: balista hispanos. Sũt q̃ p compationẽ trahunt ut pau/perior Codro. Ditior Crasso. pulchro Narciso.

Iacobi Publicii Florentini exercitii memorię corroboratio/ niſq; eius liber tertius & ultimus incipit.

Vm uſus & cōſuetudo doctrinę & artꝫ magiſtra dicatur: hoc extremo uolumine de ea dicēdū cenſuimus. Infirma ē enī huius artis prędceptio niſi induſtria uigilātia exercitatio/ ne cōprobet. Eſt aūt exercitatio aſſidu⁹ uſus cōtinuaq; memorādi cō/ ſuetudo. Ea eſt duplex Naturę ſcilicet & artis. Naturę uis nō locis ſed ſignis nōnunq; utit. Artis opus locis cōpoſitꝫ & imaginib⁹ initit. Hęc demptis locis itidē tractat.

Corroboratio memorię.

D eā autē ſūmopere muniendam & uehementiſſimū laborē: diffidētiā uel deſperationē poti⁹ ꝓpul/ ſandā. Nō oīs in ſimul ſed carptim diſpoſitas imagines & ordine quinario numero diſtīcta loca ordine & nūero & imaginib⁹ cōplebim⁹. Vnāquāq; uero quiquies nobiſcū aīo nr̄o reuoluem⁹: mox oīa in ſil tacite repetem⁹. Noniſſime qnario ꝓgreſſu oī metu abacto memorit reddem⁹. Reficit enī mēoria & laboris ꝑs maxīa detrahit: ſi nō uno ſpū locis mādata indiſtincte explicabim⁹. Sed ueluti aſperrima iuga arduoſq; ſalt⁹ ſupantes: aut molles ībelles quoq; ętate pueros inſcriptis lapidib⁹ ſpaciis: munerib⁹ blandiciis ac breuis itinerꝫ exactū ſpaciū reſpiciētes. Mentēq; adeo bis affirmabim⁹ ut nec ab ordine: nec ab re cadere poſſe ꝑſuaſū nobis habeam⁹.

Abinus Itacenſis q hippo/ cratis libros cōmentat⁹ eſt mētis & memorię ſedē tripliciter diſtinxit. Inter puppim enī & prorā pineā mediā fecit: quę cū mēoria qppiā repetere in/ ſtamus patefacta a prora ad puppim ſpūi aīali aditū ꝑſtat. Hinc proclū medicę artis ꝓfeſſorē dixiſſe cōmemorant.

Ingenio cōferētia.

uentriculū puppis nobiliorē. Nūq; enī ad eū aīalis ſpūs niſi ſere nus lucid⁹ & clar⁹ ptranſit. Hic frigiditate īmodica obtuſ⁹me/ moriā noſtrā ebetē & languidā reddit. Frigiditas uero humidi tatē uel ſiccitate ſibi acciſcere uidet. Plerūq; ſimplex frigiditas cū humiditate cōiūcta letargū: cū ſiccitate inſomnia & uigilias īmodicas ut ī pueris & ſenib⁹ patet. binc diuin⁹ ille Plato: ſene/ ctutē letargię matrē appellat. Ariſtarch⁹ pueros & ſenes facile ī morbos obliuionē & mortē delabi cōmemorat. Ad q̄ ppulſan da hęc būanę ſaluti cōferētia excogitarūt. Exercitiū: balneū: ci/ bū potū ſomnū & moderatū coitū. Spūs enī & natural' calor ſe/ gnicie & uecordia & turpi ocio cōſopiti: exercitio añ cibum a ſeſib⁹ reuocādi & excitādi ſūt balneis cibo & potu ab exercitio remittēdi relaxādi ſūt. Triſticia nōnūq; uoluptate ppulſanda ē coitu lętitia reuocāda. Inſomnia & īmodicus ſomn⁹ nocturno moderatoq; ſopore releuāda ſūt. Meridian⁹ autē ſomn⁹ (nō cō ſuetis p̄ſertim) euitand⁹ eſt. Qđ ſi diuturna cōſuetudīe dormiē dū exiſtimabis: pedib⁹ coreo nudis ſomnū capies. Mēbris enī ſopore & alto ſomno ſolutis: ad oculos & cerebrū nocuos pe/ dū uapores corei denſitas reflectit. Caput mediocrit̄ p tpis ra/ tiōe pānis cōtectū ſeruabis: ut enī īmodica frigiditas: ita īmodi ca caliditas mētē ſtupore obtūdit. Reſupinā dormitionē renes ſupra bonū ęquūq; calefacientē ut mētis noſtrę infeſtiſſimā bo/ ſtē uitabim⁹. Ea enī muliebri aīo gratiſſima: nocturniſq; eluſio/ nibus & pollutionib⁹ apta. In latus faciēq; uiros quietē carpere admonēt. Ante lucē ſurgere & p̄bię & ſanitati cōferre: Stragiri tes auctor eſt. loco tn̄ & tpi inſeruiendū eſſe Socrates edocet. Phyſicę & medicę artis, pfeſſores teſtant̄. Cęli igit̄ regione infe cta: ſolis conſpectū cubātes opire pręſtabit. Cū uero niue: cōcre ta aqua. & cana pruina terra obducta erit: frigiditatē oēm a no/ bis ppulſandā ueluti letargię & memorię peſtē meminerimus: Haud pcul igit̄ ab igne rerū callidarū & odoriferarū corpa ami cient̄: uel in p̄cluſa cellula ab aere & uento ſecluſa nos cōtine/

bimus. Meatus oēs corpis purgabim⁹: ſpūs & ſenſus ex creatu & motu excitabim⁹. Eburneo inde pectine: pręduro aſperoq; pāno caput cōfricabimus. Tū manib⁹ & facie lotis: ſex uuas paſſas. & totidē iuniperi baccas deguſtabim⁹. Tū demū leui exercitio: naturali calore excitato: ſine gentaculo tempeſtiuū prandiū maturabim⁹ Cui⁹ primo ad ſtomachū mundādū: appetitūq; excitādū: reb⁹ ſubacetoſis: ſine dulcib⁹ utemur. Leuiora primo uina uel aqua mixta apponant: ne uenę biantes uini uehementia ſanguinē exurant. Cibariis calidis & ſiccis hoc ordine utendū eſt: ut elixis exempto fame: aſſatis prandio (pręter biſpanorū conſuetudinē) finem faciam⁹. Rebus naturaliter uel artificio ſtipitis: os ſtomachi claudemus: ne fumoſitas e ſtomachi cibi ebulitione euaporās: mentē & ingeniū obſcurans: ſomnū excitet. Natura uero ſtiptica mala cottoniū pirū neſpilū ſorbe. Artificio nuces thaſię pręneſtinę baſilicę Iuglandes moluſtę auellanę pineę cariothę: aſſatęq; caſtaneę: ficus & bancrę ac prepara tū coriandrū dicunt. A frigidis & humidis cibariis & cerebro medullis: petaſone & aratorio & uetuſto boue abſtinendū duces. Res acutas & fumoſas ut raphanū alleū cepe porrū ni igne digeſtū ut mēorię hoſtē ppulſabis. Caput & pedes cū decoctiōe aquę in qua meliſſa laurifolia feniculi & camomillę cannę ferbuerint mundiſſimos ſeruabis. Ab īmodico coitu pitagoreorū ſnia abſtinebis. Noxios odores cerebrū lędētes euitabis. Aromaticas res ueluti ingenio cōferētes nobis gratas charas habemus. Exercitationē nocturno crepuſculo pitagoreorū more celebratā maximo adiumēto memorię mortaliq; mēti & ingenio eſſe pnoſces. Gaudiū moderatū moderataq; oblectatio memorię plurimū opis affert. Aknald⁹ & Tiberides linguā uppupę ſup obliuioſū impoſitā memoriā reſtaurare aſſerūt. Mentis obtuſio ſinappi piperis caſtoreiq; ſternutatione Origani ſtaphiſagire ac radicis capparis maſticatiōe leuat. Sternutamentū e felle gruis & oleo ſambuco letargicū ſanare conſtantinus affer au/

ctor est. Democritus Archigenes Alexander Peripatheticusq; Andronicus plurima menti cōferētia monumētis lr̄ax tradide re: quę lr̄is cōmendare nō grauarer nisi industria & cōsilio pro/ bati medici idigere cognoscerē. Vnde Cathaplasma Antitodū Vnctiones: pillulas sane mentis medicis relinquendas nō in/ iuria pbibent. Memorię p adiunctionē lr̄ax alleuiatio.

MAgnā nobis imensam & pene diuinā cōmodita/ tem rerū & lr̄ax adiunctionē afferre piculo iā cō/ pertū est. Caput nāq; rei cuiusq; obliqua linea cir/ cūductū uariabim⁹ figura quadrati. Cū uero imago i boīe: aut obliqua linea sensim ducta: aut lr̄a p or bis cardinib⁹ uersa nouas primis adiiciet figuras. Vel cū res in/ tegrę tractim ductę cōminutęq; pscribendax partiū additamē/ tū nobis suppeditabūt. Sagaci enī exquisitaq; arte uersę diuisę tractę & adiūctę lr̄as lr̄is cōnectēt: exitū rerū aperiēt atq; signi/ ficabūt. Si enī ad solis ortū: terrę centrū litterā uertes. B. Ad oc casum uel cęlū. C. ad diē mediū. D. Ad septētrionē. F. sibi iūgit uocalis. Consona eodē ordine seruato uocales liquidasq; anne ctet. Quę uersib⁹ bis cernunt cōplexa. Prima tenet centrū. O. cęlū mediū, diē. D. septē. F. triones Omni recurta O sibi fit rotū da. Diuide p altū. s. longūq; p. r. Crux. t. distinguit. l. m. n. coro/ na uariabit. Cōplices idētidē. Media diuersa ac uaria finges. Ar golicos enses biberaq; tela. Diuersarū quoq; nationū & gentiū litterę ueluti nouę nobis & ignotę figurę cū plurimū mentē in recordationē excitant. Grę cas hebręasq; hinc litteras hic subii cere consiliū fuit: ut diuersarū figurarū ratione mentem facilius leuare possimus.

α β γ Δ ε ȝ η θ ί κ λ μ ν ξ ό ϖ ρ σ υ χ φ ψ ω̃

A
ARTA
B
B
BVLBI
A
A
C
BABATVM

H 5

F
G
F
CLAVA
I
G
I


I
M
L
M
L
N

N
P
P

Я
S
Я
Т
S
Т

V

X

V


V



Mod⁹ cōmendādi mēorię & locis qppiā ſeruādus. Vm aūt meminiſſe cupis. Bis curſim lectitādo tex tum pcurres: ordinē deinde ipſum ſtruem⁹. Sniam cuiuſq; mēbri mox īdagabim⁹. Nouiſſime omniū ſniam una cōplexi; mediocri ſono & murmur uoq

adaucto: memorię & locis facile cõmendabim⁹: ſi quę de mẽo/
rię corroboratiõe p̃cepta ſũt ſeruabim⁹. Loca diuturna medita
tione nobiſcũ exactiſſime repetem⁹. Signa & imagies ſi me mo
rię celeritatẽ: nomẽ & tenacitatẽ cupim⁹ lr̃aꝫ ordie cõſcribem⁹.
Cęterũ ſi qn̄ res locis cõmẽdatę memoriã noſtrã ſubterfugient
uel inobſeruãtia p̃ceptorũ: uel naturalis memorię aduerſa uali/
tudine & ipotẽtia: nobis accidere exploratiſſimũ & certiſſimũ
habeam⁹. Impoſſibile eſt quippe hui⁹ artis obſeruantiſſimi me/
moriã falli. Imaginũ locis mandatarũ quas memorię in/
herere diutiſſime nolumus abolitio.

NE diuturno iugiq; labore locoꝝ indagine nouorũ:
mentẽ animũq; cõficiam⁹ cõfertos iã notis: nouaꝝ
rerũ adiũctiõe cõfundem⁹: ut inde memorię: hinc
obliuioni ſuccurrere poſſim⁹ tẽporũ interdũ curri/
culis priora quęq; obſcurari debilitari & refringi ſinem⁹: aut ue
luti e ſedib⁹ pcella etiã aduerſa tẽpeſtate eiecta: uacuas iã dom⁹
factas mentẽ inducem⁹. Imaginũ locis mandatarũ quas
memorię inherere diutiſſime uolum⁹ repetitio.

MEntis noſtrę ingenii & diuturnã memorię tenaci
tatẽ ueluti p̃fixũ mentis terminũ noſſe opportu
nũ eſſe. Ad quẽ cũ uentũ fuerit: quę firmiter ipreſ/
ſa tenere cupim⁹ iugiter memoria repetemus. Nõ
enī naturã artificio: nec artẽ naturę preſtare explo
ratiſſimũ habem⁹. Nã & quę naturali memoria pcepimus: & ea
quę arte memorię cõmendamus ni p̃fixo ſpacio repetita fue/
rint fluxa ueluti & caduca excident.

Reliquũ eſt ut de ea memorię parte dicamus: quę oratorũ ppria
eſt, id eſt de ſentẽtiis: & quę bis congruũt. Eſt autẽ ſnīa nõ ea
quã uulgus idoctorũ credit: ſed ea quę plurima cõſcripta p/
paucis bene uiuẽdi rationẽ explicat. In qua genus locus tẽ/
pus p̃ſona & ſnīę uis diſtictę notant. Eãdẽ rõnẽ ſyllogiſmi &
argumẽta ſibi uẽdicabũt. Verũ h̄ mediũ ul' maiorẽ extremita
tẽ & miorẽ loc̃ collocabim⁹, habit̃ enī p̃miſſis itellect⁹ ex ſeſe

infert cõclusionẽ: quę nõ colligit nisi ex maiori & minori ex/tremitate. Mediũ aũt in ꝓpoſito cauſam concluſionis illatę di/cunt. In qua uirtualiter effectus includit.

Nunc iã de his: quę animũ oblectãt: ingeniũ acuũt: & mẽorię bñ ſane ſigna exprimũt dicam⁹. De qbus tabulã duplicit depictã & arborẽ ī mediũ afferã: ut facilior exit⁹ huic opi det. Labor oīb⁹ detrahat & iocundũ cũ laude fructũ auditores noſtri inde cõſequi ualeãt.

Interrex Eques Vir con Rex Regina Vir con Eques Interrex
aurat⁹ ſularis ſularis aurat⁹
Colon⁹ Eaber Scriptor Theſaurari⁹ Medic⁹ Caupo Teolonari⁹
Luſor




De ptib⁹ huāicōpis
In locu-ta
Saltus
Propria
Signifi-catiua
De nota tione
In ca-pra
Cursus
Impro pria
Aduer-bia
Dictio
ō vsu mē vbi ō lris
In e-quo
In cer-uo
Bene male
Corpo rea
Ipsū vl ō etymolo
Simplex
Mixta
Persona
Pro-pria
Lucili-us
De cōpo-sitiōe ilris
Cōmu-nis
Acci-dentis
Chy-mera
De Op posito
Helio-nora
Eādē ū Nigrū
Sapiēs insipiēs
De acciīte t ppio
Homo
Mulier
Locus
De reso-lutione
Motus
Pari-sius
ō suis cuiq; rei istru
Venetie
Igno-tus
Roma
ō insigni-js locoꝝ
Hieru-salem
Dies
Tēpus
De effectu tempoꝝ
Mēsis
Annus
De figurꝭ vbi ō lris


Dictio
Persona
Species
Genus
Nō significatiua
Cōiūctio
ppositio
Et ac pro
ō vsu me. vbi ō lris
In quo
De onomatopeia
Interiectio
Maha hoho
In asino
ō insignijs psonaꝝ
Dignitatis
Pontifex Rex
Incorporea
Officij
Chalcographꝰ
ō suis cꝰ ꝗ rei iſtru
Vocar
Passionis
Vitij
De notatione
Virtutis
Liberalis
De causa
Flebilis
Iratus
De ficti one
Preterita
De ptibꝰ huāi cōpſ
Heri feci
Presens
Nunc facio
Futura
Deſiguꝛ vbi ō hoie
Eras faciā
Vnus eorum
Hominum
Motorum
ō insignijs psoāꝝ
Ignotoꝝ
Nationum
Notarum
Ignotarum
ō suis cꝰ ꝗ rei instru.

Erbardus Ratdolt augustẽsis ingenio miro & arte ppolita im/
pressioni mirifice dedit. 1485. pridie calen. februarii. Venetiis.

Figura locorũ fictorũ: cui tres alię consules p centũ locis ingenio cuiuslibet cõpari facillimũ erit.

Figura loco[n]structionis: cui tres alię cohnixę p centu locis ingenio cuiuslibet copari facillimū erit.

Ank. 500
Ulaeck Lonicus 25 XI 2017
18,000

14.000 / Ank

D-106/1